



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

Quæstio XXXIV. In Tit. XXXIV. De Voto, Et Voti Redemptione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

QUÆSTIO XXXIV.

IN TIT. XXXIV. DE VOTO, ET VOTI REDEMPTIONE.

Postquam in præcedentibus actum est de Regularibus in communi; horum autem status in præsens importet, promissionem DEO factam, consequenter votum observandi consilia Evangelica, paupertatis, castitatis, & obedientiæ; præsentis titulo agitur in genere, de votis, ac eorum relaxatione; quia verò de hac materia communiter agunt Morales Theologi in præceptis primæ tabulæ; contenti erimus exponere, quæ per Canones in hoc Titulo continentur.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit votum?

2872 *Votum* 27. q. 1. c. de Viduis 42. describitur, quòd sit alicujus boni cum deliberatione facta promissio, vel DEO facta pollicitatio; apud Theologos, Teste S. Thom. 2. 2. q. 88. dictum est à voluntate, tanquam à primo movente rationem ad vovendum, à Sanchez lib. 4. Decal. cap. 1. n. 1. sic definitur, *est promissio DEO facta de meliori bono.* Quare ad veram rationem voti eodem teste, quinque requiruntur. 1. Deliberatio, 2. propositum, 3. promissio, 4. ut ea promissio fiat DEO, 5. ut sit de meliori bono. Cùm enim votum sit actus religionis, debet esse de re magis grata DEO, quam opposita. Deliberatio esse debet plena, qualis sufficit ad peccandum mortaliter. Deliberatio autem differt à proposito, quòd illa ad intellectum, hæc ad voluntatem spectet. Inter nudum propositum, & promissionem hæc differentia est, quòd *promissio* oriatur ex deliberatione acceptandæ, si bique imponendæ obligationis: *propositum* autem ex deliberatione solius convenientiæ rei faciendæ; unde nullam obligationem etiam peccati venialis inducit.

2873 Multiplex est voti divisio; principalis

verò in *solemne*, & *simplex*. Solemne est, cui additur solennis aliqua juris formula, qualitas vel conditio, seu (ut exponit Lessius n. 31.) est quòd susceptioni status immutabilis conjungitur: quale quòd ex Ecclesiastico decreto annexum est susceptioni ordinis Sacri: item quòd continentur in professione religionis approbatæ, c. *unico* de voto & voti redempt. in 6. & quidem solemnitas in voto castitatis reddit irritum matrimonium, si attentetur; in voto paupertatis affert incapacitatem domini: Simplex dicitur, quòd omni solenni juris formula & qualitate caret: estque omne non solemne, etiam si emittatur in professione religionis non approbatæ, vid. Sanchez. 7. *matr. de 25. n. 13.* Dividitur præterea in *explicitum*, quo quis DEO expressè se obligat; & *implicitum*, cùm aliquid aliud suscipitur quòd votum exigit: ut quando suscipitur ab adulto Ordo sacer. Deinde in *conditionatum*, quòd est certa conditione affectum, & datur teste Sanchez l. 8. *matr. D. 10. n. 4.* quando affectus voventis non fertur directè in rem promissam, sed in aliud, quòd optat consequi, aut vitare, quòd ponitur in conditione, ut si quis dicat: *Voveo religionem, si incolumis ab hoc periculo, vel morte evaserò;* & *absolutum*, quòd omni conditionis adjectione vacat; 3. dividitur conditionale in pœnale, & non pœnale, seu simpliciter conditionale.

Pœnale est, cùm quis aliquid vovet certâ statutâ sibi pœnâ, si illud non servaverit; & quidem in pœnam delicti, si in illud inciderit, ut timore oneris subeundi sibi caveat: unde datur, teste Sanchez *et.* quando affectus voventis non fertur directè in rem promissam, sed illam sibi pœnam proponit, ut arceatur à crimine, quòd vitare cupit: ut, si voveat, *non laesurum sub pœna ingressus in religionem.* Hoc autem (ut notat Lessius n. 30.) fieri potest dupli-

dupliciter. 1. si quis solum voveat poenam delicti, non autem evitacionem, ut si dicat: *Voveo ingressum religionis si lufero.* 2. si utrumque voveat, scilicet poenam delicti & evitacionem, ut si dicat: *voveo amplius non lusurum, alioquin dabo largam elemosinam.* Hoc autem continet votum duplex, absolutum non ludendi, & conditionale, non poenale, est, cui conditio adjicitur non in poenam: v. g. *voveo religionem, si isto morbo curatus fuero.*

2875 Quarta votum absolutum aliud est perpetuum; aliud, temporale; perpetuum dicitur, quod est ad vitam promittentis: ut si quis absolute voveat castitatem: vel si voveat recitaturum singulis diebus rosarium in omnem vitam suam: Temporale est, quod concipitur ad praefixum, & determinatum tempus, ut si quis voverit, se daturum semel in die elemosynam per integrum annum.

2876 Quinto dividitur in reale, personale, & mixtum. Reale dicitur, cum res DEO promittitur, & nihil quod ad personam spectet; ut, si quis voveat calicem aureum Ecclesiae daturum; Personale est, cum quis DEO opus aliquod seu ministerium propriae personae spondet, ut si voveat, se jejunaturum, vel Missam auditurum.

Mixtum est, quo quis, & rem, & personae officium promittit, ut si voveat se peregrinaturum: nam in peregrinatione, & labor personalis, & rerum expensae interveniunt. Ultimo votum aliud est rei certa facienda, aliud rei certa non facienda: nam potest quis vovere castitatem servaturum, aut matrimonium non contracturum, quae duo differunt. Quid & quotuplex sit voti irritatio, vide Castropalaum *tr. 16. D. 2. p. 1.*

2877 Quod supra n. 2873. diximus ex Lessio, votum dici *solemne* ex adjuncta quadam juris qualitate, quae susceptioni status immutabilis conjungitur, multis videtur vel non complecti universaliter votum solenne; vel complecti, quod non est solenne, ut patet in votis simplicibus, quae in Soc. Jesu emittuntur privatim post emissam publice, 4. votorum solemnium professionem. P. Suarez *tom. 3. de Relig. l. 2. c. 10. n. 3.* voti solennitatem, ait, consistere in vi, inducendi quosdam peculiare effectus morales ex Ecclesiae institutione

Tom. III.

adjunctos ipsis votis; hanc tamen explanationem negat Sanchez *l. 5. moral. c. 1. n. 6.* qui n. 1. vult eum consistere in certo quodam genere perpetuitatis se tenentis tam ex parte voventis, quam Religionis, sed hanc habent etiam quaedam vota simplicia in quibusdam religionibus, quin sint solemnia. Alii dicunt consistere in quadam benedictione, aut actuali traditione domini sui ipsius in manus DEI, aut Praelatorum vices DEI gerentium, ipsiusque nomine acceptantium. Sed hos rejicit Suarez *cit. c. 6. & 7.* Pellizarius demum in *Manuali tom. 1. tr. 4. c. 1. s. 1. n. 11.* docet illam solemnitatem in eo consistere, quod votum fiat in religione approbata, & quidem conjunctim, seu eodem contextu cum professione religiosa; haec ex aliorum mente, V. dicenda, in seqq.

ARTICULUS II.

Quem effectum pariat votum?

Primus, & principalis effectus voti, legitime praestiti, est obligatio praestandi, quod promissum est; haec necessitas non est antecedens, sed consequens; nam esto cuique liberum sit in principio, vovere, vel non vovere; ex suppositione tamen voti, liberè facti, consequitur necessitas illud adimplendi per c. *Licet. 6. h. t.* ubi Ecclesia compellit haeredem Laicum per excommunicationem, & bonorum subtractionem, ad executionem voti ultramarinum, ad quod se obligavit pro defuncto, redditâ ibidem causâ, & ratione; quia licet universis liberum sit arbitrium in vovendo; usque adeo tamen solutio necessaria est post votum, ut sine proprio salutis dispendio alicui non liceat reslire, quibus positis:

Dubium 1. est, an votum ritè, ac legitime factum, statim obliget? 2. an ejus executio differri possit ex causa? 3. quae causa censetur sufficiens? 4. an, si successu temporis reddatur observatu difficile? 5. an haeres teneatur ad adimplenda vota testatoris, ab hoc ante mortem non impleta? 6. quem effectum pariat votum continentiae in ordine ad matrimonium? 7. quem, votum Religionis ingrediendae? 8. an obliget votum metu extortum. 9. quae vota sint reservata? 10. an omne votum circa materiam reservatam sit reservatum?

Oooo 2

tum?

rum? Ad 1. R. affirmative, si factum sit absolute, nullo termino præfixo; nam, ut dicitur in sacris literis Deuteron. c. 23. *si votum voveris Domino DEO tuo, non tardabis reddere; quia requirit illud Dominus DEUS tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*, Ecclef. c. 5. v. 3. *Si quid vovisti DEO, ne moreris reddere*; quod idem colligitur ex c. *Non est. 5. h. 1.* ubi dicitur: *non est voti dicendus transgressor, qui, quod vovit, auctoritate Sedis Apostolicæ distulit adimplere*; hæc autem necessaria non foret, si adimpletio differri posset sine voti transgressione. Accedit, quod *in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, presenti die debetur per reg. 14. ff. de reg. jur.* quod, cum procedat in civilibus; à fortiori urget quoad DEUM.

2880 Ad 2. R. ex iusta causa differri posse, prout liquet ex casu in dict. c. *Non est 5. h. 1.* ubi Innocentius III. rescribit Archi-Episcopo Strigoniensi, non esse dicendum *voti transgressorem*, qui, quod vovit, Auctoritate Sedis Apostolicæ distulit adimplere; ideoque mandat, ne prius iter atripiat Hierosolymam adeundi, quam Regnum Hungariæ pristina tranquillitati fuerit restitutum, vel super hoc receperit ab Apostolica Sede mandatum.

2881 Ad 3. R. idpendere ex materia voti; nam si hæc sit talis, ut alio tempore commodius, & majori quiete animi persolvatur, differri poterit ex ista causa, ubi spes prudens affulget, sic fieri posse, si verò talis sit, ut importet obsequium aliquod perpetuum, v.g. quot diebus exercendi, vel faciendi actum, ex quo sequitur tale obsequium perpetuum (ut est ingressus religionis, ordinatio in sacris) oblata opportunitate præstandum est, nisi interveniat talis causa, quæ ceteroquin obligatum excuset ab observantia urgentis præcepti Ecclesiastici; nam & votum est tantum lex privata, quam sibi vovens imponit voluntate liberâ.

2882 Ad 4. R. de hoc agi in c. *Quod super 8. h. 1.* Pontifex enim ab Archiepiscopo Cantuariensi consultus de his, qui, *signo crucis assumpto*, propter infirmitatem, vel aliam iustam causam, votum peregrinationis Hierosolymitanæ non possunt implere, respondet: 1. debiles, & inopes, ordinariè magis illuc in defectum, quam ad profectum, accedere; 2. illis qui tempo-

ralem habent impediementi causam, indulgendam esse dilationem; illis verò quorum impediementum est *perpetuum*, redemptionem esse injungendam, &c. 3. circa illos, qui pro defensione terræ sanctæ *votum* peregrinationis emittunt, plus terræ sanctæ *succursus*; circa illos verò, quibus *pro penitentia* ea peregrinatio injungitur, plurimum *labor itineris* attendi pebet. Unde si quis est inutilis ad pugnandum, quamvis habilis sit ad eundem, melius est redimere votum, quam expensas consumere: 4. de mulieribus vult observari, ut quæ remanere nolint, sequantur viros; ceteræ, nisi sint divites, quæ suis expensis possint secum ducere bellatores, votum redimant.

Cum autem ex priori decretali eidem 2883 Archiepiscopo aliqua dubia suborta fuissent (etsi quædam non exprimantur, ad quæ tamen Pontifex respondet, ut in integra lectione reperiuntur) idem Pontifex (ut habetur in c. *ex multa 9. eod.*) illi rescribit, 1. jus exequendi illa, quæ ibi statuta sunt, illis solum incumbere, qui super hoc à Sede Apostolica mandatum receperunt speciale; 2. per *Religiosos* (quorum in decretali, ut hic ponitur, nulla fit mentio) sive intelligantur, qui habitum religionis susceperunt, sive Episcopi, qui in religione præminent, ad neutros executionem pertinere, nisi ipsis per Sedem Apostolicam specialiter demandetur; 3. persistit Pontifex in eo, quod prior decretalis continebat, quod debiles, & inopes, magis in defectum terræ sanctæ, quam profectum accedant; posse tamen etiam aliter responderi: Nobiles, & Magnates debiles, etsi per se pugnare non possint, consilio tamen adesse posse, & personæ defectum per alios relevare.

Quartò, quod dictum est de mulie- 2884 ribus, ut, quæ remanere noluerint, viros suos sequantur, intelligi debere de illis duntaxat, quæ nullius voti vinculo se adstrinxerunt; 5. concedit, ne terræ sanctæ impediatur subsidium, ut viri, præter Uxorum assensum, hanc peregrinationem liberè voveant; Uxores autem, ut consentiant, esse attentius commonden- das: 6. de Clericis respondet, cum clericale officium eos reddat inhabiles ad pugnandum, nisi vel consilio, vel prædicationis officio valeant, aut magnatum obse-

obsequio sint deputati, aut adeo divites, & potentes, ut suo sumptu ducant aliquos bellatores secum, magis expedire, si redemptio ab illis accipiat, quam ad voti profecutionem cogantur. Hac de votentibus dicta, non de his, quibus peregrinatio Hierosolymitana in poenitentiam injungitur; ita c. *Ex multa*.

2885 Pro expositione utriusque cc. not. 1. ea non procedere de quocunque voto, sed circa certam duntaxat materiam, nimirum peregrinationem Hierosolymitanam, & subsidium prestandum terræ sanctæ, suscepto in eam itinere pugnandi contra hostes fidei, & liberando illam de possessione infidelium. Ea igitur, quæ in dictis cc. statuuntur circa redemptionem perpetuò impeditis ab executione voti imponendam, extendi non debent ad vota circa aliam materiam; cum finis sit omnino diversus. Unde, quando dicitur, occurrenti *perpetuum impedimentum* circa executionem voti dictæ peregrinationis, debere imponi *redemptionem*, dando nimirum in subsidium terræ sanctæ valorem expensarum, quas eundo in terram sanctam facturi erunt, intelligi debet de impedimento, reddente talem peregrinationem *valde difficilem*; non autem *moraliter impossibilem*, sic enim non indigeret redemptione, cum aliunde ad impossibile non datur obligatio, qui enim Juvenis vegetus vovit Religionem ingredi, & voto non obstante, Uxore ducta, suscepit liberos, decursuque plurium annorum factus decrepitus, morbidus & ineptus ad onera Religionis, morte Uxoris solutus est à matrimonio, liber etiam est *ab ingressu Religionis*, tanquam impossibili sibi in talibus circumstantiis.

2886 Not. 2. Votum peregrinationis Hierosolymitanæ, esse votum soli Summo Pontifici reservatum, sic, ut ab inferiore commutari, vel relaxari non possit sine speciali commissione Papæ, ut constat ex dict. c. *Ex multa*, ubi querenti, an votum ultramarinum, in certis casibus redimi, & commutari possit à Prælati quibuslibet, quorum jurisdictioni ejusmodi votentes commissi sunt? responder Pontifex, quod non: verba Canonis sunt: *Ad hoc igitur respondemus, quod in consultatione nostra jus editur. Et licet ad quales, ad quos tamen specialiter spectet ejus executio, nullatenus*

explicetur: illis autem solummodo jus hoc exequendum incumbit, qui super hoc mandatum receperint à Sede Apostolica speciale.

Et quoniam in integra lectione c. *quod* 2887 *super 8. h. t.* de quo superius, Pontifex dixit, in casu, quo impedimentum exequendi votum ultramarinum est perpetuum, id redimendum esse, simul addebatur: *super his autem diligens est discretio adhibenda, ne quid prece, vel pretio; amore, vel odio, seu occasione quacunque contra salutem animæ, vel utilitatem terræ quomodolibet attentetur, unde per Viros religiosos & providos dispensationi hujusmodi volumus provideri; cum autem dictus Archiepiscopus Cantuariensis à Pontifice ulterius quereretur, de quibus Viris religiosi hoc sit accipiendum? ut habetur c. *ex multa*, utrum scilicet ibi Religiosi vocentur hi tantum, qui religionis habitum susceperunt? an Episcopi, qui sicut dignitate præcellunt, sic & religione debent aliis præminere? respondit Papa: ad neutros executionem illius juris spectare, nisi per Apostolicam Sedem eis specialiter delegetur.*

Not. 3. Viris, etiam sine Uxorum assensu, licere vovere dictam peregrinationem, ut dicitur c. *Ex multa*, §. *in tanta*. ibi: *in tanta quoque necessitate populi Christiani, ut terra sancta impediatur subsidium, Viri, præter Uxorum assensum, hujus peregrinationis propositum vovere, libere valent, & quod voverint, libere adimplere.* Ut autem consentiant, sunt attentius commonenda. Sed nota, postrema hæc verba, *ut consentiant, sunt attentius commonenda*; non *jubenda*, unde quaestio est, an, si mulier non consentiat, præsertim, si Virum comitari nolit, & domi relicta exponeretur periculo incontinentiæ, Vir nihilominus personaliter exequi possit votum, an potius redimere? Suarez tom. 2. *de Relig. tr. de voto, l. 6. c. 4. d. n. 14.* tradit cum D. Thoma quodlibet. 4. art. 11. & D. Antonin. p. 2. tit. 1. c. 22. §. 1. Virum non posse implere personaliter tale votum, si Uxor nolit eum comitari, & sit juvenis, relinquaturque in periculo incontinentiæ, nec Uxorem teneri illum comitari, eo quod sit res valde onerosa, quia ex jure naturæ tenetur vir cavere id uxoris periculum, & ideo satisfacet, tunc redimendo votum.

Not. 4. Quod Vir vovere possit dictam 2889
pere-

peregrinationem etiam sine assensu Uxor-
ris, esse casum specialissimum, favore
terrae sanctae; & ideo non habet locum,
quando peregrinatio esset *non in subsidium*,
sed causa devotionis; ita Sanchez *de marr.*
l. 9. D. 4. n. 15. Sayrus *in clavi Regia lib. 6.*
c. 5. n. 9. & colligitur ex illis verbis: *in tan-*
ta necessitate populi Christiani, junctâ Gloss.
V. Viri.

2890 Ad 5. R. Haerem teneri ad imple-
nda vota *realia* defuncti, salvâ legitimâ li-
beris debitâ, & secundum vires hereditatis;
item vota mixta secundum quod continent
aliquid *reale*, separabile à personali; non
autem *purè personalia*; ita Sanchez *l. 4.*
moral. c. 15. à n. 25. Suarez *cit. de Voto*
c. 11. à n. 2. & alii. Ratio primâ & secun-
dâ partis est, quia haeres, accipiendo ha-
reditatem, recipit eam cum onere incum-
bente *rei*; uti colligitur ex c. 18. de Censi-
bus, ubi de hoc etiam casu votorum *rea-*
lium ab haeredibus implendorum agitur;
& *L. 2. ff. de pollicit. ibi: qui decimam partem*
bonorum vorvit, si decesserit, ante sepositio-
nem, haeres illius hereditario nomine decima
obstrictus est: voti enim obligationem ad ha-
redem transire constat; ubi tamen adverte,
per *voti obligationem*, non intelligi obli-
gationem ex virtute Religionis; sed, onus
implendi, seu praestandi, quod rebus in-
cumbit, quarum haeres evadit, quod onus
importat obligationem ex quasi contractu,
dum aditur hereditas taliter gravata: ra-
tio tertiâ partis est: quia vota personalia
respiciunt actiones voventis; has autem
praestare non potest haeres.

2891 Si quæras, quid dicendum, si haeres
etiam à Judice monitus, intra annum, non
impleat iussâ, vel vota realia defuncti,
quorum obligationem in se recepit? Quæ-
stio hæc habetur in c. *Licet 6. h. 1.* nam,
cùm Andrea Ducis parens, Rex Hunga-
riæ, agens in extremis, votum visitandi
Hierosolymam fidei filii commississet, ipse-
que assumpto crucis signaculo se id mox
impleturum promississet; mandat Ponti-
fex ut debitum susceptæ crucis exolvat,
sub pœna excommunicationis, & priva-
tione juris in successione in regno ad fra-
trem ipsius minorem devolvendo. Votum
porro istud fuit *mixtum*, nempe *personale*,
in quantum promissit Rex se in persona
iturum ad terram Sanctam; & secundum
hoc non transit in ejus filium, juxta n.

præced. & *reale*, quatenus simul vorit, se
allaturum terra sanctæ subsidium, manu
militari, & subministracione sumptuum
pro tali expeditione, & in hoc grava-
tum esse filium, Andream Ducem, præ-
sertim cùm ipse id se facturum promiserit;
ut patet ex textu. Subsidium porro istud
non aliunde, quàm ex bonis, in qua suc-
cedit, accipiendum est, salvo jure legiti-
mâ, quæ gravari non potest à Testatore.

Ad 6. quid operetur votum conti-
nentia per ordinem ad impediendum, vel
dirimendum matrimonium, ipso stante
contrahendum, vel contractum? R. re-
missivè ad *lib. 4. decretal. tit. 6.* Qui Cle-
rici, vel voventes, specialiter à n. 966.
Ad 7. R. pafiter remissivè ex dictis ibid.
à n. 241. Ad 8. R. Votum, ex metu gra-
vi & injusto directè incusso ad faciendam
promissionem, probabiliter esse nullum
jure naturæ, propter defectum accepta-
tionis in DEO; probabiliter tamen, solo
jure Ecclesiastico; primam partem tenet
Sanchez in decalog. *l. 4. c. 3. n. 8.* & apud
eum *n. 8.* tenet Sotus *l. 7. de just. q. 2. à 1.*
ad 2. & alibi; secundam verò idem San-
chez *cit. n. 9.* & 12. aliique complures.
Prima pars ex eo suadetur, quòd, licet res
promissa, secundum se sit de meliori bo-
no, consequenter sit idonea materia voti,
nihilominus tamen, ut subest tali invo-
luntario injustè coactio, & extorto, non
sit apta; divina acceptationi propter pe-
riculum, vel nulliter, vel prorsus rædio-
sè, ac serviliter praestandi promissum; se-
cunda verò exinde, stando in sententia
dicente, sufficere ad voventum illud vo-
luntarium, quod sufficit ad peccandum
graviter, ut vult Sanchez *cit. c. 3. n. 9.* quia
sic nec deficit voluntarium ad votum suf-
ficiens; nec materia voti, quia ponimus
eam esse de re secundum se meliori; nec
etiam sufficiens deliberatio: & quando
dicitur, quod DEUS non acceptet *sacrifi-*
cia coacta; communiter respondetur, ve-
rum esse, de coactis simpliciter; & per
vim præcisam; non autem solum secun-
dum quid, & conditionaliter, qualiter fit per
metum; aliàs enim nec valeret votum ex
gravi metu justo emissum, cæteroque
non edendum, nisi ad cavendum aliud
malum grave, quod probabiliter timeretur.

Dices: matrimonium irritum ex me-
tu gravi, injusto, & incusso extrinsecus,
dire-

directè ad extorquendum consensum, jure naturæ est irritum; ergo similiter votum emissum ex tali metu. *R. 1.* sequelam admitti probabiliter ex plurium sententia, ut notavimus initio num. præcedent. *R. 2.* Ant. negari à Sanchez *cit. c. 3. n. 9.* *R. 3.* C. ant. juxta dicta *l. 4. decret.* N. conseq. quia ratio, propter quam admittimus antec. loc. cit. est, quòd talis contractus, semel validus, nullo humano jure rescindi possit, consequenter metum passus irreparabiliter ex injustitia, & malitia alterius deberet sustinere damnum; quod à recta ratione non potest approbati, tale porro damnum irreparabile non importat votum ejusmodi metu extortum; cum jure Ecclesiastico nullum sit, vel si principio valet, relaxari possit, ut dicemus, ergo.

2894 Quòd autem omne votum injusto metu extortum jure Ecclesiastico sit irritum, probatur communiter 1. ex *c. Perlatum, de iis*, quæ vi metuve; ubi Pontifex puellam, metu injusto coactam ad vota religiosa, ab eis liberam pronuntiat. Deinde Eugenius II. in Synodo General. *cap. sicut qui Monasteria 20. q. 1.* coactos ad Monasteria à votis suis deobligat, addens rationem: *quia, quod non petunt, non observant.* Tertio, in *c. Prasens 20. q. 3.* Nicolaus Papa Lambertum, à Patre ad Monastica vitæ professionem coactum, negat sub tali violentia ad illam adstringendum esse; *quod enim, inquit, quis non eligit, nec optat, profecto non diligit, quod autem non diligit, facile contemnit, nullum quippe bonum nisi voluntarium.* Quamvis autem, ut observat Sanchez *cit. c. 3. n. 12.* ex his textibus appareat, jus ibi solum agere de voto cogente ad profitendum in religione vel emissa professione; non autem voto simplici: addit tamen ex communi fere omnium Doctorum placito, eandem decisionem extendi ad votum simplex, quod etiam est similiter opus consilii, suamque perpetuitatem habet; quoniam votum simplex, & solenne in ratione voti essentialiter non differunt, ut tradit communis, ergo si Ecclesia in voto, *quod est solenne*, reprobat voluntatem, & animum coactum tali metu, tanquam insufficientem, ut valeat ejusmodi votum; etiam reprobat in voto, quod est simplex; nam in animo votendi, quantum voto

essentialis est, ea vota non differunt; solennitas enim, ut alibi probavimus, & rursum dicemus in seqq. supponit votum essentialiter constitutum.

Ad 9. *R. de facto* quinque solum vo. 2895 ta esse reservata summo Pontifici, nimirum votum Religionis approbatæ, castitatis perpetuæ, triplicis peregrinationis (scilicet Hierosolymitana, Romana, & Compostellana) ita tradit P. Illung in *Arbore scientiæ boni, & mali tract. 5. D. 1. q. 3. à 5. n. 145.* dicens, id communiter colligi ab Authoribus ex Extrav. Sixti IV. incip. *Esti Dominici. c. 2.* de pœnitent. & remiss. Verum, quantum colligi potest ex lectione illius ut citatur sub *c. 2.* nihil agitur *de votis*, sed tantum de *certis delictis* summo Pontifici reservatis, quod etiam annotat ipse P. Thomas Sanchez mox citandus *n. 7.* negans, ea 5. vota, *jure communi*, esse reservata, rectè probari ex illa Extravag. Cœterum, quoad vota soli summo Pontifici reservata discordant DD. aliqui enim docent, solatritia, *castitatis perpetuæ, religionis, & peregrinationis Hierosolymitana*, vota reservari Pontifici, quibus favent D. Thomas *2. 2. q. 88. art. 12. ad 31.* & *Hosiens. sum. de voto §. utrum*, & per quem in votis valeat dispensari *n. 16. sine*, ubi dicit, votum continentia, & Hierosolymitanum, reservari: alii volunt sola vota *castitatis & religionis* semper reservari: at vota *peregrinationum Romana, Compostellana, Hierosolymitana*, non semper; sed duntaxat, quando emittuntur in eorum locorum subsidium, atque ita posse Episcopum in illis, *gratiâ solius devotionis factis*, dispensare; Quia in *c. Ex multa & c. super his*, de voto (ubi peregrinatio Hierosolymit. reservatur) est sermo, *quando in ejus loci subsidium promittitur*, quare à fortiori idem erit dicendum de duplici alia peregrinatione, ita docent Abb. eo *c. Ex multa, n. 4.* Vivald. *Candelabro Sacramentor. p. 3. c. 14. n. 63.* & idem docent loquentes de peregrinatione Hierosolymitana, Eman. Sa in *Sum. verb. Votum*, ubi de voti irritatione *n. 11.* & verb. *Juramentum n. 33.* Grassi *p. 1. decis. lib. 2. c. 31. n. 21.* & fatetur Angelus verb. *Votum, 4. n. 6.* valere Episcopi dispensationem in voto hujus triplicis peregrinationis, *non in subsidium emisso*, quamvis æquum sit, ut ab ea absteat. Néc

Nec obscure id significat Glossa eo c. *Ex multa*, V. *Incumbit*, ubi ait, cum Pontifex ibi sibi reservet votum *in subsidium Hierosolymitanum*, videri alia vota Episcopis indulgeri.

2896 Verum *ex universali Ecclesia consuetudine* reservatam esse Summo Pontifici dispensationem quinque votorum, nempe religionis castitatis, peregrinationis Romanæ ad limina Apostolorum D. Petri, & D. Pauli; Hierosolymitanæ (quod vocatur *ultramarinum*) & Compostellanæ ad invisendum D. Jacobum, tradit Sanchez in *Decalog.* l. 4. c. 40. n. 6. ubi dicit, hoc colligi ex dicta Extravag. *Esse Dominici*, non quod ibi reserventur, sed supponantur, ea esse reservata; quia ibi excommunicantur commutantes hæc 5. vota, absque Pontificalia licentia; quia ob hanc causam non vult Sixtus IV. (Author illius Extravagantis) hæc vota claudi in clausula generali concessionis pro dispensatione votorum; sed petit licentiam specialem Pontificiam, ut ea commutare liceat; hæc Sanchez *loc. cit.* Cæterum, ut supra monui de dictorum 5. votorum reservatione nulla profus expressa mentio fit in ea Extravagante *Esse Dominici*, quæ refertur in eo tit. non cap. 2. ut quidam citant, sed c. 3. videntur tamen velle Extravag. 2. sub his verbis initialibus, *Esse Dominici*, quæ in eo tit. habetur c. 5. & ex hoc procedit Sanchez.

2897 Ad 10. R. negativè, id, quod pluribus exposui in Theol. morali de præceptis primæ tabulæ, pro quo supp. 1. *castitatem perfectam* esse, cum sibi quis interdicit perpetuam in futurum abstinentiam ab omni voluntaria delectatione venerea tam intra, quam extra conjugium, ita Suarez *tom. 3. de relig.* l. 9. c. 2. n. 1. Gobat in *Quinar. tract.* Theologo juridicorum *tr.* 3. c. 40. n. 312. Supp. 2. *reservationem votorum* esse stricti juris, & odiosam, consequenter strictè interpretandam, juxta regulas juris. Derogat enim ordinaria potestati Episcoporum, & gratiosæ delegatorum, consequenter juxta Gobat n. 315. & complures alios, non intelligendum, nisi *de votis perfectis* in ratione voti, hoc est, quæ fiunt ex affectu, erga rem promissam, cum consensu non diminuto; & quæ absolutè, ac determinatè ad materiam reservatam ex promissione, affectu-

que ad illam, directè ligant. Nisi enim de his intelligatur, eo ipso reservatio non sumitur strictè contra regulas juris. Pontifex enim non reservat *præcisè obligationem voti*, sed natam ex tali consensu, & affectu, ut bene notat Castropalaus *tr.* 15. D. 2. p. 12. n. 16. atque adeo non tam respicit *obligationem*, quam *modum* eam contrahendi. Hinc alii dicunt, ut votum circa materiam reservatam sit reservatum duo requiri, ut sit perfectum & *in ratione materia*, & *in ratione voti*, *in ratione materia*, ut, si sit votum castitatis, sit castitatis *perfecta*, ut diximus in supposito 1. *in ratione voti*, seu affectus, nimirum puri, non diminuti, & directè respicientis materiam quod melius est, ad divinum cultum.

Ex hoc deducitur 1. nulla vota merè ²⁸⁹⁸ poenalia sub conditione delicti esse reservata ante impletam conditionem; sic Escob. Theol. moral. *tom. 1. exam. 4. c. 6.* & cum plurimis aliis Tambur. l. 3. c. 16. §. 4. n. 32. esto ibid. etiam contrarium indicet probabile ratio est; quia talia vota non habent obligationem absolutam; 2. quia fiunt ex consensu diminuto, nec directo in rem promissam, cum potius rem vovens averferet; habeatque animum absolutum, non contrahendi talem obligationem, cum velit eam dependentè à contingenti conditione, quam vult non poni, quæ omnia arguunt imperfectionem voti in suis adjunctis. Deducitur 2. nulla vota merè conditionalia esse reservata ante conditionem impletam; ita Sanchez, Lessius, Layman, Castropalaus, Escob. Filliuc. Tamb. cit. qui contrarium etiam probabile putat cum Navar. & Barbosa. ratio est 1. quia fiunt ex affectu solum indirecto in rem promissam, 2. solum cum consensu diminuto, scilicet non perfecto in rem affectu, sed dependentè ab utili proprio, utpote non ex recto affectu divini cultus, ergo per N. priorem, non sunt vota in suis adjunctis perfecta, consequenter, nec reservata.

Deducitur 2. nulla vota sub conditio- ²⁸⁹⁹ ne delicti esse reservata, licet conditio sit impleta, ita Suarez, Lessius, Layman, Leander q. 103. Gobat n. 317. Castropalaus, Fagundez, Tamburinus & alii contra Filliucium, Escobar. & alios, imò nulla vota merè conditionalia esse reservata, licet conditio sit impleta, esto non sint sub condi-

conditione delicti; sic Castropalaus *cit. n. 15.* Toletus, Sanchez, Leander, Gobat, Tambur, Diana *p. 1. tr. 11. ref. 54.* & alii contra P. Suarez, Less. Laym, Escob. Filiuc. &c. ratio 1. est eadem quæ n. priori, ratio 2. est, quia ex hac opinionum varietate inter Authores dubium est, an ejusmodi vota sint, vel non sint reservata: ergo eo ipso non sunt reservata. *conf. pat. ex communi consensu docentium, nihil esse reservatum, nisi certum sit, esse tale.* Sed eo ipso quod sit dubium, non est certum; ergo eo ipso quod sit dubium, non sunt reservata, Ratio 3. sumitur ad hominem contra Suarez, & alios, qui concedunt vota pœnalia non esse reservata etiam posita conditione, & negant hoc de conditionalibus. Nam ideo per illos pœnalia non sunt reservata, 1. quia non fiunt ex affectu directo erga rem promissam; 2. quia non fiunt, nisi cum consensu diminuto, scilicet non nisi dependenter ab eventu contingenti, 3. quia potius cum animo non subeundi obligationem, secundum se spectatam; sed hæc, omnia etiam contingunt in votis purè conditionalibus: ergo. Ut tamen non falleris advertè dicta. N. 2897. in principio hujus Quæst.

2900 Dices 1. Votum castitatis absolutum est reservatum, sed hæc vota conditionalia posita conditione sunt talia vota absoluta: ergo sunt reservata. *Re. dist. ma. votum castitatis absolutum quoad obligationem est reservatum N. absolutum quoad radicem reservationis, trans. Nam in re id non sufficit, nisi sit castitatis perpetuæ, & perfectæ; vel aliter: votum absolutum absolute factum, est reservatum C. factum conditionate, seu dependenter à conditione. N. sic enim non fit ex affectu directo rei promissæ, nec est perfectum in ratione actus directe tendentis ad DEI cultum, quod pertinet ad perfectionem voti. dist. min. Sed hæc vota conditionalia posita conditione sunt absoluta quoad obligationem, vel, sunt absoluta, & non absolute facta. C. quoad radicem reservationis vel absolute facta N. min. & conseq. hinc not. ex Sagundex *p. 2. l. 2. c. 27. n. 11.* ad reservationem non sufficere, quod votum habeat obligationem absolutam, sed requiri simul, ut fiat ex affectu erga rem promissam, consequenter fiant absolute &c. ut *Tom. 111.**

sup. quia reservatio est stricti juris; hoc autem non habent; etiam posita conditione. ergo.

Dices 2. votum castitatis sub conditione factum posita conditione se habet ac si esset emissum sine conditione: sed si esset emissum sine conditione, esset reservatum; ergo etiam si est emissum sub conditione, modo posita sit conditio. *Re. dist. ma. quoad obligationem habet se similiter C. quoad reservationem N. hinc C. min. N. conseq. quia dum fit sine conditione, fit ex affectu directo in rem promissam; non autem, quando emittitur sub conditione.*

Dices 3. omnes alii contractus sub conditione celebrati habent eodẽ effectus morales purificatã conditione, ac si essent puri, ergo similiter vota, sed effectus moralis talium votorum est reservatio; ergo posita conditione habent annexam reservationem. *Re. dist. anteced. habent eodẽ effectus, quos parit obligatio contracta C. quos parit modus contrahendi obligationem N. anteced. & sub distinctione consequentiam; ad subsumptam Re. sed reservatio est talium votorum effectus moralis, quem parit obligatio contracta N. quem parit modus contrahendi talem obligationem C. subsumptam & N. conseq.*

Ex dictis plures in particulari casus resolvi possunt. 1. Votum castitatis cujuscunque *temporalis*, non esse reservatum. Ad hoc enim requiritur, ut sit castitatis *perpetuæ*. Item, nullum votum, quod non est de castitate *perfecta* esse reservatum, consequenter votum non ducendi Uxorem; votum se non polluendi; votum non faciendi turpem aspectum; vel tactum; votum non petendi debitum; votum castitatis conjugalis; votum conjugum non petendi nec reddendi mutuo debitum; votum virginitalis, qua excludit solam deflorationem, non esse vota reservata; quia non sunt vota castitatis *perfectæ*, seu integræ, sed diminutæ. Et licet aliquis veller, dum vovet, ut suum tale votum nec Pontifex possit tollere, adhuc non est reservatum, quia nemo potest prejudicare potestati superioris; Diana *p. 1. tr. 11. c. 75.*

Resolvitur 2. nullum votum, quod quis in pœnam sub conditione delicti im-

Pppp ponit

ponit sibi servare perfectam castitatem, vel ingressum religionis etiam approbata, vel unam ex triplici peregrinatione &c. esse reservatum, sive perfecta sit, sive non perfecta sit conditio, constat ex n. 2899. & seq. Tertio, nullum votum, cuiuscunque sit materia, emissum sub conditione, si hoc bonum v. g. sanitatem impetravero; vel si ab hoc malo liberatus fuero, esse reservatum, sive perfecta, sive adhuc suspensa sit conditio pat. ex n. 2899. & seq. Quarto, omnia ista vota, & quaecunque alia non reservata, quovis tempore, commutari posse à quolibet Confessario approbato Societatis JESU. ex Compendio Privil. V. *Commutatio* §. 1. Concessit eis Paulus III. quod verum est, et si sint vota jurata. Concessit eisdem Gregorius XIII.

2905 Quinto idem posse alios regulares, qui cum Societate in privilegiis communicant. Unde, si quando ad te ejusmodi votum commutandum deferretur, tu vero ex tua potestate id non possis, ut tuo poenitenti bene consulas, remitte illum ad ejusmodi regularem. Sexto, hæc eadem vota posse commutari in quovis jubileo, ubi conceditur facultas commutationis, esto in eo reserventur vota castitatis & religionis; quomodo enim hæc vota reservata sint, ex dictis constat: cum scilicet sint vota absoluta & perfecta, castitatis perfecta. Septimo, etiam diu post elapsum Jubilæum, hæc & similia vota, de quibus egimus, commutari posse à quolibet Confessario approbato, illi, qui intra tempus Jubilæi peregit opera præscripta, si ea vota sint emissa ante, vel durante Jubilæo, ita ex Gobat in *Quin. n. 3. n. 243*; cum Sayro, Sanchez, Henriquez, Lessio, Sanctarel. Portel. Castropalao, Diana &c. quia illi, qui intra tempus præscriptum perfecit opera requisita, non præscribitur certum in bulla tempus, quo accipiat commutationem, sed relinquitur liberum.

2906 Dices in bulla communiter dicitur: qui *hac vice tantum* absolvat, vota commutet &c. ergo præscribitur solum tempus jubilæi. R. N. consequ. illorum enim verborum sensus non ille, qui ponitur in consequenti: sed is: poterunt sibi eligere confessarium, qui eos absolvat &c. *hanc vice tantum*, id est, *tantum eo tempore*, dum

durat favor jubilæi acquisitus: ita Suarez, & Sanchez cum Gobat n. 266. sed is durat, quamdiu non sunt commutata vota, cum nullo tempore limiterur: ergo. Ex hoc deducit Gobat cit. utilem doctrinam, quæ Parochis, & carentibus privilegio bene notanda, ut, si poenitens veniat, poenitens commutationem voti, eum interroget, an eo tempore, à quo habet hoc votum, fuerit aliquod jubilæum, & pro illo requisita opera peregerit? si affirmat, potest in virtute talis jubilæi illi commutare omnia vota, quæ potuisset durante jubilæo; sic Gobat loc. cit.

Ad hoc amplius intelligendum, quantum ad donam vota castitatis, religionis, & similia, sint reservata soli Pontifici? notanda sequentia 1. semper vide, an votum sit *perfectum*, in ratione voti? hoc est, ex affectu directo ad rem promissam, vel tantum ex affectu indirecto, si secundum? eo ipso non est reservatum, à n. 2897. secundo, an votum illud sit *absolute* factum, vel tantum conditionate; si secundum? non est reservatum etiam posita conditione per n. id. cit. & seq. quia licet votum sub conditione factum, posita conditione fiat absolutum, non fit tamen *factum absolute*, hoc est, non fit, ut non sit factum solum dependenter à conditione. Tertio, quando est dubium de valere voti, tale votum non est reservatum; quia reservatio, cum sit odiosa, stricte sumenda est pro casibus certis Gobat *cit. n. 3. n. 315*. Quarto, si votum factum est ex metu injusto, gravi vel levi, ad extorquendum votum, non est reservatum, quia caret perfecto consensu; Sanchez, Lessius, Gobat n. 316.

Quinto, votum ingrediendi *aliquam* religionem, vel emittendi ejus tria vota substantialia non est reservatum; nisi votum sit veræ religionis, & quidem talis, quæ sit approbata à Sede Apostolica, sub tali forma substantiali, unde requiritur, ut, præter promissionem illorum trium, promittat etiam emissurum se illa omnia vota, quæ nonnullæ religiones solent, tribus substantialibus addere. Sic in ordine Minimorum, quartum votum est, de vita quadragesimali, sine quo promissio faciendi tria vota substantialia religionis, non esset votum ingrediendi *ordinem Minimorum*; Suarez apud Gobat n. 318.

Sexto,

2909 Sexto, votum religionis non approbata, non est reservatum, debet enim intelligi de approbata; Leander *cit. q. 96.* votum assumendi ordines Sacros non est reservatum. Leander *q. 87.* votum ingrediendi religionem strictiorem, esto reservatum sit quoad ingressum religionis, non est tamen reservatum *quoad modum*: hinc commutari potest in ingressum religionis minus stricta. Leander *cit. q. 100.* & plures alii, vota triplicis peregrinationis alio animo facta, quam devotionis, non esse reservata, tenet Leander *q. 109.* similiter, qualitas illis adjuncta, v. g. peragere iter *non equo*, sed *pede*, non est reservata; Tamburinus *cit. n. 28.* & Leander *q. 110.* votum non petendi commutationem, vel dispensationem voti, nisi à Summo Pontifice, non est reservatum. Leander *q. 111.* quando votum Papæ reservatum commutatur in aliam materiam v. g. jejunium, materia priori subrogata non est reservata, Leander *q. 113.* idque propter causas in præmissis jam allatas.

2910 Pro fine notat Gobat *cit. n. 310.* illa quinque vota de quibus *n. 2895.* cum perfecta, & reservata sunt, sic esse reservata, ut eorum dispensatio, vel commutatio, per nullam bullam censeatur concessa, nisi exprimat, hinc ait: si in bulla præcisè ponantur hæc verba: *Damus potestatem commutandi omnia vota, etiam triplicis peregrinationis,* non intelligi vota castitatis, & religionis, quando autem bulla sic habet: *damus potestatem commutandi vota omnia, exceptis castitatis & religionis,* hoc ipso etiam intelligi datam potestatem commutandi vota triplicis peregrinationis.

ARTICULUS III.

De voti redemptione.

2911 Quamvis hic *voti redemptio* propriè supponat pro ejusdem commutatione; latè tamen etiam comprehendit ejusdem irritationem, aut dispensationem, vel extinctionem. Unde quæstio est 1. quis possit irritare vota? 2. quis dispensare? 3. quis commutare? 4. an & qualiter extinguantur ingressu religionis? aut professione? §. 1. de irritatione voti. 2. quòd ille dicatur votum *irritare*, qui absolute tollit ejus obligationem; is porro hoc pot.

Tom. III.

est, cui vovens subjectus est, vel quoad voluntatem, vel quoad rem promissam. Prima irritatio, cum sit ob dependentiam vovens quoad voluntatem, dicitur *directa*; altera, *indirecta*. Ut hæc de irritatione bene intelligantur, pono hunc casum. Petrus ante pubertatem emittit votum eleemosynæ; Pater eo cognito, irritat ejus votum, postquam ingressus est, & complevit pubertatem Petrus. Sed sic dubius, an Pater bene fecerit, votum ratificat, Societatem JESU ingreditur; post biennium simplicia vota (quæ verum Religiosum efficiunt) emittit; sed post biennium alterum, ipso petente, dimittitur, & ad seculum revertitur, ubi reperit vivam solam Matrem, & Curatorem sibi positum à Patre ante mortem. Hinc Pater vota filii impuberis potest licitè, & validè irritare, non tantum eo tempore, quo filii sunt impuberes, sed etiam quocunque alio, postquam egressi sunt, modò ea in pubertate non ratificaverint. Omnia enim impuberum vota habent imbitam conditionem, si Pater consentiat, vel non contradicat, idque vel ex jure naturæ, vel Ecclesiastico, ut ejus ætatis imbecillitati consulatur, ita Sanchez, Lessius, Suarez, Valent. quos cit. & sequitur Tamburinus *n. 9.* quod verum est, licet implenda forent tempore pubertatis, vel quando filius est sui juris; ita Sanchez *lib. 4. in decal. 6. 29. n. 3.* quia hæc potestas irritativa fundatur in imperfectione ætatis, qua puer votum emisit: sed hæc adfuit tempore, quo factum fuit votum, ergo adest fundamentum irritandi, scilicet factum in ætate illa tenui.

Quæstio ulterior est 1. an Pater possit irritare vota, quæ fiunt à filio in pubertate? 2. quid circa vota suorum in hoc possit Tutor, vel Curator? 3. an Mater? 4. Quid Superior in Religione circa vota suorum? 5. quid dicendum de votis Uxorum? 6. Servorum? 7. Maritorum? Ad 1. 2. quoad ea, in quibus adhuc subest Patri, ab hoc posse irritari, sic Tamburinus *n. 11.* cum Sanchez. Nam tunc filius, etsi pubes, non habet jus circa tale objectum, in quo ponitur subjectus Patri, circa quod *not. 1.* hanc irritationem posse à Patre fieri etiam contradicente filio; nam patria potestas in usu suo non pender à voluntate filii, si dicas: commuta-

Pppp 2

muta-

mutatio non potest fieri, sine voluntate ejus, cui votum commutatur: ergo nec irritatio. *R. N.* conseq. quia in conseq. nihil subrogatur priori, quod acceptandum foret loco alterius, sicut in commutatione acceptari debet materia subrogata. Ex hoc etiam probabile reputat Castropalaus *tom. 3. rr. 15. D. 2. p. 4. n. 6.* contra Suarez *l. 6. de vot. c. 1. n. 13.* ex causa aliqua gravissima voti dispensationem tradi posse invito, quia potestas Prælati, quam habet pro dispensando, libera est, & à voluntate subditi independens, licet non exercenda sine causa rationabili. Ut autem dicta filii vota Pater licite irritet, sufficit, si vel filius, vel Pater inde gravamen sentiat. Tamburinus *cit. n. 14.* & quamvis Pater filio concesserit licentiam votendi; quia tamen per hoc non privavit se jure, quod habet irritandi ejusmodi vota sibi concessio, vel à natura, vel à jure; ideo etiam hoc dato, potest irritare. Tamburinus *n. 15.* cum Sanchez, & Layman: excipe vota realia, sic enim jus de re, pro qua votenda dedit licentiam, filio donavit Pater. Ex his pat. responsio ad factam quæstionem *n. 2911.*

2913 Ad 2. *R.* Quod Tutor, dum hoc officio fungitur, possit omnia pupilli vota, in impubertate facta irritare, quæ potest Pater: ejus enim loco succedit; Castropalaus *cit. D. 2. p. 7. n. 6.* Idem jus est in Curatore quoad vota concernentia bonum temporale, vel præjudicantia gubernationi domus; Sanchez in *Decal. l. 4. c. 35. n. 69.* Nam in hoc subit vicem Patris, & Tutoris; hoc intellige, etiam si vota sint emissa, prius, quam assumpserint officium Tutoris, vel Curatoris, semper enim supponuntur facta cum minori discretione, consequenter ex interpretatione juris, censentur facta sub conditione beneplaciti paterni, vel eorum, qui huic succedunt. Tamburinus *l. 3. c. 16. §. 3. n. 42.* si verò sint plures Curatores, vel Tutores, quilibet hoc potest, cum ea potestas annexa sit officio. Bonacina & Tamburinus *cit. n. 18.* Vota minoris personalia irritari posse à Curatore, negat Suarez *l. 6. de Vot. c. 6. n. 24.* &c. eò quòd Curator non succedat in totum loco Patris, sicut Tutor; sed solum in administratione bonorum, verum etiam probabile est, posse. Nam saltem secundario Curatori datur potestas in filii personam; Tamburinus *n. 19.* San-

chez *cit. c. 30.* Vivo, vel etiam mortuo Patre, si habeat filium Tutorem vel Curatorem, vel Avum, Mater nihil potest circa vota filii, Suarez *cit. c. 6. n. 21.* tunc enim nullam potestatem habet in filium. Secus, si filius iis omnibus foret destitutus, tunc enim vota ejus in impubertate facta irritare posset, tali enim casu Mater, vel Avia potest filium gubernare loco Patris, docente id jure natura. Tamburinus *n. 21.*

Ad 3. *R.* Matrem posse irritare vota filii in impubertate facta (cum caret Patre, Tutore, vel Curatore, aut avo) dum filius est minor, negari à Sanchez *cit. c. 30. 17.* quia illi plus non conceditur, quam tutori; posse tamen probabile censet Tamburinus *n. 23.* cum Sayro, & Sa ob eandem rationem, ob quam *n.* priori diximus curatorem vota personalia minoris; Mater enim eo casu subintrat in officium curatoris; Jura verò, quæ sunt in contrarium, loquuntur de Matre, ut Mater est; non verò, cum jure naturali in ea munera succedit; vel certe de rebus pertinentibus ad statum politicum, non de iis, quæ ad conscientiam; ita Tamburinus cum aliis. In hoc tamen discrimen est, quòd Mater id possit solum, dum filius minor est; Pater verò, etiam, cum filius emancipatus est, quoad vota in impubertate facta, & non confirmata post pubertatem; illa enim vota ob ætatis debilitatem fiunt sub conditione, si Pater non contradicat, quod semper manet, etiam cum filius emancipatur; Tutor autem non manet semper Tutor; sed tantum usque dum pupillus attingat 14. annum completè, & Curator respectu minoris, ad 25. in horum autem vicem solum succedit Mater. Quæ diximus de Matre, intellige quoad vota personalia filii, an etiam possit realia de bonis temporalibus, vel ea, quæ præjudicant gubernationi domus? si emissa sint tempore pubertatis? negant, quoad omnia hoc tempore emissa, Sanchez & Suarez, sed & probabile est, posse etiam hæc; ita Tamburinus *n. 25.* Sayrus. Nam Mater in hoc casu succedit Curatori, sed is potest; ergo & illa. Socer (si gener caret Patre, Matre, Tutore, & Curatore) eo casu subintrat loco Patris juxta P. Tancredi de Religios. *tom. 1. D. 16. n. 6.* consequenter respectu generi tunc potest, quod respectu ejus potest, Pater.

Ad 4. Responsio constabit ex dicendis 2915
dis

dis ad 7. r. ca. quæ præjudicant Marito, irritari posse ab ipso, si emisit Uxor, dum est in matrimonio, Sanchez, Tamburinus n. 48. hoc enim requirit contractus matrimonii; si verò non præjudicent, non posse, tenet Navarrus, Azor, Sayrus, Bonacina, Layman, Lessius alique cum Castropalao D. 3. p. 6. 2. n. 6. posse tamen, probabile putat Tamburinus cum aliis n. 48. ratio est ex totali subjectione mulieris, respectu mariti, qui est caput Uxoris, hoc enim pertinet ad pacem, & concordiam conjugalem; hinc videntur implicite involvere conditionem, si vir non contradixerit: Sanchez tamen excipit votum religionis, quando id impleri potest ab Uxore, v. g. viro adulterante, in hoc enim Uxor non subditur viro. Posse etiam per virum irritari vota uxoris concepta dum matrimonium stat, implenda post solum matrimonium, &c. probabile censet Tamburinus n. 49. cum Sanchez, Vir enim omnia vota Uxoris, eo tempore facta, irritare potest; sic ille. Vota verò ejus, concepta ante matrimonium, & ejus tempore implenda, suspendi possunt à marito, secundum quod ipsi præjudicant; Navarrus, Sylvester, Sanchez & Tamburinus, non tamen irritari.

2916 Vota personalia uxorum & servorum, facta in impubertate; vel realia in pubertate, dum scilicet erant minores, irritari posse à superveniente Marito, vel Domino, tenet Lessius, Sanchez, Tamburinus n. 52. sic enim quoad illa succedunt jure Parentis, Tutoris, vel Curatoris, quando illi ordine prædicto non adsunt. Si uxor emisit votum ex mera licentia mariti, potest ab illo tamen irritari; quia præsumitur licentiam dedisse ad suum beneplacitum; at si addita est promissio non revocandi, validè quidem irritare potest (cum adhuc maneat caput mulieris) sed non licitè; cum non servando promissum ageret contra fidelitatem.

2917 Ad 6. r. not. per servos non intelligi, mercede conductos; sed qui verè sub alicujus dominio sunt. r. illa servorum vota irritari posse à Domino, quia officiant ipsorum servitio, quia solum in ea ratione fruuntur potestate dominativà in servos; hinc non possunt irritare illorum vota, facta ante subjectionem; non enim censentur facta sub conditione beneplaciti

ipsorum, nec etiam implenda, primò cum non erunt servi; sic enim non officiant servitio, Tamburinus n. 45. &c.

Cum autem vir Uxori non subjiciatur quoad voluntatem, sed tantum quoad materiam promissam, solum convenit Uxori indirectè irritare vota mariti in matrimonio, in quantum præjudicant matrimonio, vota verò prius emissa, si præjudicantia matrimonio, suspendere potest; si autem Uxor dedit meram licentiam, censetur dedisse ad arbitrium suum, ut quanto minus potest, præjudicetur; si verò addidit promissionem, nec validè irritabit, ideo enim potest irritare, quia præjudicant, uxor autem per talem promissionem suo præjudicio cessit, ergo. Maritus autem etiam facta promissione manet caput mulieris, quod est fundamentum ex quo ipse potest irritare, unde non fit paritas.

Pro fine hujus §. not. 1. ex eo, quòd 2919 vovens velit, vel incipiat exequi votum in impubertate, vel aliàs factum, non censeri, illud ratum facere, vel confirmare; executio enim non inducit novam obligationem voto præcedenti, 2. etsi prius votum sæpius repetierit, non ideo ratificatum esse; sic enim solum approbat prius vinculum, non verò novum suscipit; 3. ut votum fiat obligatorie ratum, ex parte voventis requiri; ut vovens conscius sit de prioris voti debilitate 2. ut velit se de novo firmiter obligare perinde, ac si nunquam fuisset obligatus, 3. ut sic dispositus, saltem mente, præterita repetat, seu certè approbet, ex his totus casus in principio positus facilè resolvi potest, sic Tamburinus §. 3. n. 57. & seq.

§. 2.

De Dispensatione Voti.

Dispensatio voti contingit, cum is, qui 2920 potestatem habet, votum DEI nomine absolutè relaxat; Sive definitur juris relaxatio, à potestatem relaxandi habente facta; Unde discrimen est inter dispensationem, irrationem, abrogationem, commutationem, permissionem, licentiam, interpretationem, suspensionem. Nam dispensatio datur, quando obligatio complectens omnes personas hujus communitatis, ab hac persona tollitur & manet circa reliquas; Commutatio fit per translationem obligationis, v. g. si

relaxetur jejunium cum onere recitandi rosarium. *Permissio* non tollit obligationem legis, sed datur, cum quis violat legem impunè. *Licentia*, seu facultas latius patet, quàm dispensatio: quamvis enim omnis dispensatio sit licentia, non tamen e contra: nam religiosus v. g. nequit exire domo sine licentia, cum tamen illa datur, non propriè dispensatur in lege, sed potius compleitur modus operandi lege præscriptus, ut nemo exeat sine licentia.

2921 *Interpretatio* non tollit obligationem legis, sed declarat legem in hac circumstantia non obligare. *Suspensio* nec tollit legem, nec obligationem ejus; sed solum suspendit effectum obligationis ad tempus. *Derogatio* est ablatio legis in perpetuum quoad partem. *Abrogatio* est ablatio legis in perpetuum quoad totum. Quoad irrationem autem, & abrogationem distinguit Sanchez cit. ut *irritare* sit legem, vel votum impedire & cassare, ne robur obligandi consequatur: ut, si Princeps legem constitutam à civibus, indigentem ipsius Principis confirmatione, non confirmet; *Abrogare* sit postquam vim obligandi adepta est, eam omnino cassare, seu abolere.

2922 *Not.* Quòd si dispensatio bona fide fiat, esto in re iusta causa non subsit, validam putet Lessius & Sanchez, id quod etiam tenet, si cum causa ut dubia proposita, esto post reperitur nulla fuisse, quia pertinet ad DEI benignitatem, approbare factum, ne factò dispensantis (si aliàs legitima potestate munitus sit) dispensati periculis conscientia, vel anxietatum animi exponantur. Et quamvis hoc neget Castropalaus, prior tamen sententia probabilior est, ut tenet etiam Tamburinus c. 16. §. 4. n. 3. propter rationem ab illis assignatam. Causæ porò sufficientes ad dispensationem voti (nam si scienter fiat sine iusta causa saltem apparenti, dispensatio nulla est, sic enim fieret temerè, consequenter factum hoc suo nomine fieri, vel factum esse, non approbarer DEUS) sunt, quæ obstant executioni voti, talis est, 1. imperfecta deliberatio, vel ratione ætatis, vel ratione turbata mentis, vel ratione erroris, aut doli, in causa impulsiva voti, Tamburinus cit. à n. 13.

2923 Secunda causa est difficultas notabilis

in executione, esto non sufficiat ut ejus intuitu votum sine dispensatione cesserit, quod probabile est, licet fuerit prævisa, Tamburinus n. 13. Tertia est, si tibi sit causa damni temporalis, vel bono publico, vel tuæ familia. 4. Si causa damni spiritualis, ut si sit occasio ruinae spiritualis, vel speretur major spiritualis utilitas ex dispensatione, Tamburinus n. 22. Idem est, si de his oriatur prudens dubium, si verò esset sola commoditas voventis, negat hanc sufficere ad dispensationem. Sic enim non obstat executioni. Concedit tamen sufficere pro commutatione, quia sic non tollitur totum onus.

Quæstio nunc est, quibus competat 2924 potestas dispensandi in votis? de summo Pontifice communis affirmat, cum posse dispensare in omnibus votis, etiam alioquin reservatis, de quibus plura à n. 2895. dubitari autem potest, de aliis Papa inferioribus? Sed ad hoc constat ex dict. nimirum, quòd potestas dispensandi in votis, non reservatis, conveniat omnibus, qui habent jurisdictionem sacram in foro externo, respectu suorum subditorum; consequenter etiam Prælati exemptis vota Novitorum prius facta. Vid. Tambur. cit. §. 4. & Busenbaum in medulla l. 3. c. 2. de 2. præc. decal. c. 3. dub. 8. Regulares porò Ordinum Mendicantium ex privilegio facultatem habent dispensandi in omnibus votis secularium non reservatis; primò enim Martinus V. concessit Benedictinis facultatem dispensandi in votis, etiam Episcopo reservatis, ut habetur apud Tamburinum. §. 4. n. 47. Idem concessit Eugenius 4. per bullam. Confessarii Societatis, qui habent usum privilegiorum horum à Superioribus concessum, habent hanc etiam potestatem, ut videre licet in Compendio privil. V. dispensatio. §. 10. sic enim possunt dispensare ad petendum debitum cum his, qui post simplex votum castitatis contraxerunt matrimonium, ut habetur ibid. §. 9. ex concess. Pii V. item in foro conscientia ad petendum debitum cum his, qui consanguineum, vel consanguineam sui conjugis post matrimonium carnaliter cognoverunt; sic habetur ibid. §. 8. ex concess. Pii 5. Item cum eo, qui simile votum edidit post consummatum matrimonium, ut not. Andreas Mendo in statera

vera benign. opin. dissert. 1. q. 6. n. 77. ubi addit, Confessarios Regulares, fruente privilegio Mendicantium, posse dispensare in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi ratione muneris: non in iis, à quibus possunt Episcopi solum ex benignitate juris, ut cum dispensant ob necessitatem in reservatis Papa.

2925 Quæstio altera est, an Episcopi possint aliquando dispensare in votis illis §. reservatis? R. posse & i. in necessitate, cum scilicet non est recursus ad Papam, vel eum, cui commisit Pontifex, ob periculum in mora. Vid. Tambur. n. 37. Sed hæc dispensatio valet tantum ad eum effectum, ad quem urgebat necessitas, ac ea, quæ talis effectus secum trahit; sic, si ligatus voto castitatis violasset puellam, & huic foret periculum infamiae prius subeundæ, quam dispensaret Papa, posset Episcopus cum eo ligato dispensare, ut ducat puellam, sed hac mortua, rursus teneretur ad servandam castitatem. 2. Si id habeat ex legitima consuetudine, sic docet Tamburinus n. 43. Episcopum posse dispensare cum eo ad perendum debitum, qui post simplex votum castitatis contraxit matrimonium, vel illud emisit, etiam de uxoris licentia, post contractum.

2926 Not. tamen 1. Facultatem dispensandi in votis reservatis ex necessitate, competere Episcopis, non quidem ut potestatem ordinariam; habere tamen originem ex ea; quæ, cum careant privilegiati, ipsi id nequeunt etiam in necessitate, nisi ad id habeant speciale privilegium. 2. Mendicantes posse sua privilegia exercere circa omnes seculares; Episcopos vero tantum circa suos subditos. Si enim agunt per suam jurisdictionem. 3. Episcopos posse suam potestatem aliis delegare, quia ipsis hæc potestas est ordinaria, non autem Mendicantes, quia ipsis est solum delegata. Not. 4. commutationem & dispensationem voti posse fieri etiam extra Sacramentum poenitentiae, etiam absentibus. Nullum enim jus, vel clausula restringit hanc potestatem ad forum Sacramentale. vel præsentem, sic Tamburinus n. 52. Not. 5. religiosos, qui possunt dispensare in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi potestate ordinaria, ut constat ex n. 2924. etiam posse in iis, in quibus possunt Episcopi ex potestate per consuetudinem

acquisita; sic enim Episcopus, posita semel dicta consuetudine, jam ex vi ordinariæ jurisdictionis acquisitæ per consuetudinem dispensat. Nam consuetudo dat jurisdictionem ordinariam. Sic Tamburinus n. 54. §. 4. Sed in hoc non assentior; nam quod acquiritur consuetudine, non convenit jure ordinario; sed speciali, sicut, quod acquiritur præscriptione. Deinde non consuetudo, sed Legislatores, supposita consuetudine, per consensum legalem dat jus. Not. 5. Dispensationem tunc absolute concedi posse, cum causæ, ob quas petitur, consideratâ gravitate voti, & ipsæ graves sunt, vel plures graves, causam satis gravem reddunt; si verò causa videretur non omnino sufficiens, admiscenda est aliqua commutatio dispensationi. Sic Tamburinus n. 11. si autem causa dispensationi sufficiens est, Prælati obligatur ad concedendam dispensationem; quia potestas dispensandi ipsis data est in bonum subditorum. Tamburinus cum Sanchez, & Castropalaus jam cit.

§. 3.

De Commutatione Voti.

Quid sit Commutare Votum? constat ex 2927 dict. n. 2920. De hac commutatione votorum pluribus locis agitur hoc tit. ubi potissimum agitur de voto, quod conceptum est de peregrinatione transmarina in subsidium terræ Sanctæ, ut constat ex c. de peregrinationis 1. c. non est. 5. c. Licet. 6. c. ad magna 7. c. Quod super 8. h. t. &c. Sed hodie sublatis expeditionibus in terram Sanctam, ad præxin parum faciunt, ut notat Wagnereck in exegefi ad cit. c. quod super. Illud, quod habetur c. Scriptura 4. h. t. ad præsentem quæstionem multum confert, ubi Alexander III. illis, qui relicta voti, quod conceperant, executione, statum religiosum assumunt, ita rescribit: *Scriptura Sacro testimonio declaratur, quod spiritualis homo propositum non mutat, cum pro salute anime suæ utilius aliquid meditetur. Inde est, quod vestris justis postulationibus non indignati, indulgemus quod, qui sepulchrum Domini vel aliorum Sanctorum limina proposuerunt visitare: & infirmitate, vel alia rationabili causa occurrente habitum religionis assumere, atque inter vos DEO servire voluerint, libere ipsos suscipere valeatis.* Unde

Unde subiungit: *reus facti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur religionis observantiam commutare.* Ex quo habetur, ut ponitur in rubrica c. 1. omne votum esse mutabile in votum Religionis.

2928 Hanc conclusionem ex isto textu communiter desumunt D. Thomas. 2. 2. q. 88. art. 12. ad 1. & q. 189. art. 3. ad 3. & art. 8. ad 2. *Sot. de iustit. lib. 7. q. 4. art. 3. vers. 4. & q. 7. vers. 3.* Navar. *consilio 4. de Regular. in novis, & in man. c. 12. n. 65. & 78. in fine.* Covar in c. *quamvis pactum*, p. 1. §. 3. n. 4. vers. 6. Sanchez in *decal. tom. 2. l. 5. c. 5. à n. 36.*, qui à n. 38. ait, *ipso iure, vota in seculo facta, censei commutata in religionis professionem;* ac proinde, absque alia commutandi intentione, manere profitentem ab eis liberum, ut probat hic textus, cujus decisio non innititur speciali votantis intentione commutandi, sed solo privilegio efficiente, ut priora vota simplicia manent ipso iure extincta emissio solemnium; quia, cum omnia vota DEO promissa sint opera particularia, continentur eminenter in ipsa religionis professione, per quam se & omnia sua dedicat profitens divino obsequio, moriens priori vitæ, & nihil, nec propriam voluntatem, sibi reservans.

2929 Quæstio præterea est 1. an idem dicendum de votis tempore Novitiatus emissis? 2. de votis emissis post professionem, si talis professus deinde profiteatur in alia religione strictiore? 3. de votis, quæ quis emisit in religione, si ab ea in perpetuum expulsus, sua sponte profiteatur in alia strictiore, vel laxiore? 4. an hoc procedat de votis non tantum personalibus, sed etiam realibus? 5. an etiam de voto transmarino in subsidium terræ Sanctæ? 6. an id concessum sit simplicibus votis post biennium Novitiatus emissis in Soc. JESU?

2930 Ad 1. & affirmativè; nam ex vi voti religionis professus absolvitur à prioribus votis, ut dictum est, & tradit D. Thomas in 4. *dist. 38. q. 1. à 4. quæstione 4. ad 2.* Nam per professionem talis priori vitæ moritur, ut tradit idem S. Doctor. 2. 2. q. 88. a. 12. ad 1. *Gloss. in c. Monacho. 20. q. 4. V. Voverit.* & alii; quamvis non inducitur privata votantis voluntate, vel autoritate; sed Ecclesiasticâ lege, quæ

jure optimo induxit, ut, vitam seculari in religiosam mutans, liberetur votis illis particularibus, quod confirmari potest ex c. *penult. de Regularibus in 6.* ubi deciditur, adstrictum simplici religionis *strictioris* voto, manere ab eo liberum, si in laxiori profiteatur. Et redditur ratio his verbis: *Priori voto, tanquam simplici, per secundum solemnne noscitur derogatum;* cujus ratio est, quia cum omnia obsequia, DEO promissa, sint opera particularia, continentur eminenter in ipsa religionis professione, per quam se & omnia sua dedicat profitens divino obsequio, moriens priori vitæ, & nihil, nec propriam voluntatem sibi reservans. Ad 2. & pariter affirmativè; ratio est eadem; quia solemnium professione tolluntur omnia vota præcedentia, ut ostensum est; & ita tradit Sanchez *cit. tom. 2. Decalog. l. 5. c. 5. n. 40.* ubi tamen addit, hanc sententiam sibi præ opposita magis placere; rem tamen esse dubiam. Ad 3. quia, ut in præcedentibus dictum est, professio extendit se ad extinguenda omnia vota priora, hinc, si quæ vota in Religioso cuncto fuissent tantum suspensa, dum in religione esset, illa, in dato casu omnino tollerentur. Ad 4. & affirmativè, modo per tale votum non sit jus acquisitum tertio, ut, si promissio esset homini facta, & acceptata; nam in tali casu non posset præjudicari juri alterius, ratio autem responsionis est, quia professio religiosa extinguit in proficiente omne debitum antecedens ex vi religionis, non autem ex vi iustitiæ, ut tradit Sanchez *cit. an. 41. cum Angelo V. Votum. 4. n. 3.* Covarr. *de pact. p. 1. §. 3. n. 4.* & aliis.

Ad 5. censent aliqui votum illud extinguui quoad laborem eundi seu itinerandi; non autem quoad expensas subsidii; sic Angelus *cit. n. 4.* & Sylvester V. *Votum 4. q. 7. dicto. 4.* Sed dicendum extingui quoad utrumque; nam in dict. c. *Scripturae* textus expressè loquitur sine ulla distinctione de voto visitandi sepulchrum domini; vel aliorum Sanctorum limina. Nec obstat, tale votum, quoad subsidium, esse reale; ac reservatum; nam illud debitum reale; non est debitum rei iustitiæ, sed religionis, & votum quoad laborem eundi personaliter aque reservatum est. Ad 6. & per illa vota biennii, ex

vi eorum, vota prius in seculo emissa, non extingui, sed suspendi, quamdiu talis manet in Religione; quia per illa vota non traditur Religiosus religioni, & divino obsequio, *irrevocabiliter, & omnino perpetuo*; ita Sanchez *cit. n. 54.* ex canone 22. Congr. 1. ibi: *vota, quae nostri in seculo emisserunt, in nostra Societate suspensa sunt, etiamsi per professionem non tollantur: & ita obligationem eorum cessare, dum in Societate manent, intelligantur.*

2932 Dixi, *ex vi eorum*; nam in casu, quo vota constituunt *professum*, extinguuntur priora vota *vi professionis*, quae vim istam habet ex lege Ecclesiastica, ut diximus; & ideo, ut hunc effectum operetur, non est opus, ut profitens emittat professionem *cum intentione* per illam commutandi priora vota in ipsam professionem; cum vis operandi extinctionem illorum votorum non pendeat à privata voluntate profitentis; sed eà supposita, à dispositione legis juxta *n. 2927.* & ita tenet Sanchez *cit. n. 37.* contra Hostiensem in Summa *h. t. §. qui vovere possit. n. 7.* quo posito:

2933 *Quaestio 7.* est, an saltem tunc extinguerentur vota in seculo emissa ab eo, qui post biennium Novitiatu in Soc. JESU emittit 3. vota simplicia, quibus evadit verè Religiosus, si emitteret ea cum intentione commutandi in ea vota simplicia? 8. an, si talis postea dimitteretur à Religione, illa vota denuò redirent? 9. an idem dicendum, si commutaret in simplicem ingressum in Societatem, & postea tempore Novitiatu exeat ex justa causa? 10. quid si ingrediens Societatem haberet votum ingrediendi aliam religionem? Ad 7. *Re.* affirmativè; nam hanc commutationem illorum votorum fieri posse ab eo, qui talia vota simplicia emittit in Soc. JESU, decidit Gregorius XIII. in sua constitutione, *Ascendente Domino*, ubi condemnat quorundam obtreccationem dicentium: *non posse vota aliqua in seculo emissa, in tria haec substantialia Societatis commutari; cum tamen haec vota sint status, ut praefertur, Religiosi adeo utilis, & perfecti, ut illa in hac possint; haec verò in aliorum Ordinum, etiam solemnium vota commutari, sit ab hac Sede, jussis de causis interdictum.*

2934 Ad 8. *Re.* negativè; quia votum se-
Tom. III.

mel legitimè sublatum, seu extinctum, non reviviscit, ita Sanchez *cit. n. 55.* Ad 9. *Re.* affirmativè cum Sanchez *loc. cit.* quia melius est ingredi religionem animo probandi, & amplectendi eam, si probata placuerit, quam quodcunque aliud votum; ergo legitimè quis commutat omnia vota in hunc finem, quo casu manet liber ab illis, & tenetur ad hunc ingressum, cui tamen obligationi satisfacit ingrediens bona fide & postea tempore Novitiatu ex justa causa exiens. Ad 10. *Re.* quòd tale votum per vota biennii non suspendatur, posse tamen à P. N. Generali, vel eo, cui is commiserit commutari in illa, licet esset votum strictioris religionis, ut habetur in Compend. Privileg. V. *Commutatio. §. 3.* de quo plura Sanchez *cit. à n. 57.*

Nec obstat, quòd movent aliqui, 2935 dicentes, in *c. Scriptura sup. cit.* non dici, ipso jure commutari vota in professionem, sed commutantem non teneri ad priora vota, at commutatio fieri nequit absque intentione commutandi. Nam aliud est, vota *dispositione legis* commutari, aliud *intentione profitentis*; quo posito *Re.* cum distinctione *ma.* in dicto *c.* non dicitur ipso jure commutari vota in professionem, *ex intentione profitentis. C. ex dispositione juris*, seu legis. *N. ma.* dist. *min.* at commutatio, *ex intentione profitentis*, nequit fieri absque intentione commutandi. *C. ex dispositione legis N. min. & conf.* aliud est vota in professionem non possunt commutari *per legem* absque *legis* intentione commutandi; aliud, *absque profitentis* intentione; primum verum est; non autem alterum.

Ex dictis deducitur 1. non esse admit- 2936 tendam limitationem Abbatis in dicto *c. Scriptura n. 6.* dicentis, per professionem sola vota statui religioso non consona, sed ejus observantias impediencia, tolli; Secus, de consonis, nec impediencia, nam ex dicto *c.* constat, *omnia tolli*, quia haec votorum extinctio non innititur *impossibilitati* eorum cum statu religioso, sed legi Ecclesiasticae, ut dictum est superius, volenti, ac disponenti, profitentem non teneri ad priora vota, quin fiat respectus ad ea, tanquam consona, vel dissona religioni. Nec etiam obstat illud, quòd textus loquatur *de voto temporalis obsequii*, consequenter intelligi nequeat *de votis* perpe-

perpetuis; nam hoc non ideo ponitur in textu, quasi ad solum *temporale* votum restringeretur; sed quia de voto *temporali*, nempe peregrinationis Hierosolymitanæ, rogatus est Pontifex, & ideo de illo respondit. Nec enim induxit novum jus, sed ostendit jus ex ipsa ratione naturalium commutandi omnia vota in professionem, eo quod hæc sit majus bonum, alia omnia in se eminenter continens.

S. 4

Qui gaudeant potestate commutandi Vota?

2937 **R** Esp. de hoc agi c. *de peregrinationis*, h. 2. cum enim ex Alexandro III. quaesitum esset, an ob occurrentem necessitatem votum peregrinationis, eleemosynis redimi; vel in aliud opus commutari possit? respondit: *quoddam ab ejus, qui praesidet, pendet arbitrio, ut consideret, diligentius qualitatem personæ, & causam commutationis* (scilicet, an ex infirmitate, seu affluentia divitiarum, an alia causa probabili peregrinatio, an recompensatio melior fuerit, & DEO magis accepta?) & *secundum hoc debet exinde dispensare*; ex hoc textu communiter deducunt DD. quemlibet Superiorem Ecclesiasticum (videlicet Episcopum, vel alium Prælatum Episcopali jurisdictione, seu potestate in suos subditos præditum) causâ cognitâ, posse vota redimere, seu commutare, vel in iis dispensare, & hoc procedit de omnibus votis, non specialiter reservatis. Si dicas, in dict. c. 1. non agi *de dispensatione*, sed *commutatione* votorum? quia Pontifex respondit solum ad quaestionem propositam, quæ fuit de sola *redemptione & commutatione*: R. esto interrogatio fuerit facta de redemptione & commutatione voti, Pontificem tamen in sua responsione non affirmasse *illud solum*, sed etiam alterum, ut patet ex ipso textu, ibi: & *secundum hoc debet exinde dispensare*.

2938 Quæstio ulterior est 1. an id possint soli Superiores Ecclesiastici? 2. an aliquando possit hoc ipse vovens? 3. an hoc jure Ordinario habeant Episcopi in sua diocesi? & quidem ante consecrationem? 4. an Archiepiscopi, etiam ante acceptum pallium? 5. quid in hoc possit Capitulum Sede vacante? 6. an Episcoporum Vicarii? 7. an Prælati Episcopo inferiores? 8. an Parochi? Ante resolut. supp. actum dispen-

fandi in votis, esse actum jurisdictionis, non Ordinis; atque adeo posse competere Clerico, etiam primæ tonsuræ, idque jure ordinario vel delegato; solis autem illis competere jure ordinario, qui habent jurisdictionem in foro externo; sicut de potestate excommunicandi tradit communis; nam utraque potestas pertinet ad externam Ecclesiæ gubernationem, ut tradit Sanchez tom. 1. in Decal. l. 4. c. 37. n. 16. cum Sayro in Claviregia l. 6. c. 11. n. 85. quibus positus:

Ad 1. R. *jure ordinario* id posse solos Superiores Ecclesiasticos, respectu suorum, qui habent jurisdictionem fori externi; constat ex c. 1. h. 2. ibi: *ab ejus, qui praesidet, pendet arbitrio*; aliud est jure delegato, vel privilegio, prout id habent plures Religiosi, qui hoc licite faciunt, sed solum juxta mensuram potestatis concessæ; qua in re quisque sui Ordinis privilegia attendere debet; sed à prima parte hujus responsionis excipe, nisi, ut mox dicemus, *ipse vovens hoc prestare valeat*.

Ad 2. R. affirmative, si commutatio fiat in *evidenter melius*, vel *evidenter æquale*; primam partem tenent complures cum Sanchez cit. c. 49. n. 7. Nam vovens omnia vota priora commutare potest in professionem religiosam, etiam Auctoritate propriâ, ut constat ex dict. loquimur autem de votis secularibus, hoc est, non propriis Ordini alicui Regulari; & colligitur etiam ex dict. c. 1. nam ibi *Superioris Auctoritas* intervenire debet, ut dispiciat, & consideret, an id, in quod fit commutatio, sit melius eo, quod voto promissum est; at hoc necessarium non est, ubi opus novum est priori *evidenter melius*. Alteram partem tenent complures apud Sanchez cit. c. 49. n. 10. & Tamburinus l. 3. in Decal. c. 16. §. 5. n. 14. Pirhing. h. 2. n. 25. & alii; quia si opus sit evidenter æquè bonum, ac alterum, nihil interest, num fiat hoc, vel illud; nec obstat, quod ad DEI cultum spectet perseverantia in promisso; nam hoc compensari potest per alterum. Excipiuntur tamen vota specialiter reservata; 2. quæ facta, & acceptata sunt in favorem tertii; sic enim jus acquisitum est tertio, cui non semper placet id, quod de se melius est. Not. tamen ex P. Adamo Burghaber in cent. 2. cas. 35. Fagundez l. 2. in decal. c. 49. n. 11. etiam oppositum reputari

pūtarī probabile; hinc volunt, cūm opus, in quod sit commutatio, est evidenter melius, posse à vovente commutari propriā Authoritate, esto cedit in præjudicium tertii, quia votum in utilitatem tertii non facit, ut tertius acquirat jus absolutum, sed conditionarum, seu dependens à beneplacito DEI, nisi oppositum sit evidenter melius. Hinc si Pontifex alicubi contrarium expressit, ajunt eum esse locutum ex sententia Doctorum contraria.

2941 Ad 3. R. affirmativè, tam de dispensatione, quàm commutatione ex dict. c. 1. modò confirmati sint; quia tunc gaudent plena jurisdictione; ita Sanchez *cit. c. 39. n. 6.* contrariam sententiam dicens, ab omnibus rejici tanquam omnino falsam; quod idem dicendum est de Archi-Episcopo respectu subditorum suæ Diocesis; nam relatè ad hanc comparatur tanquam Episcopus; quia ante Pallii receptionem interdicitur ei solūm, cogere Concilium, & exercere, quæ sunt Ordinis Episcopalis. Ut constat ex c. *Quod sicut*, s. *super eo, de elect.* & ideo c. *suffraganei*, de electione dicitur, *integrum esse Archi-Episcopo, nondum recepto Pallio, committere alicui Episcopo consecrationem sui suffraganei*, quasi ea commissio sit actus jurisdictionis; ubi Glossa, post casus positionem, notabili 2. ait: per confirmationem concedi Archi-Episcopo ea, quæ sunt jurisdictionis: Secus tamen dicendum est de subditis suorum suffraganeorum; nam Archi-Episcopus non habet ordinariam

curam, nisi in sua Diocesi; ac solūm est Judex in causis Diocesis suffraganeæ per appellationem ad eum deductis, c. 1. *de officio Legati*, c. *Dico, de officio ordinar.* Ad 5. R. Capitulum Sede vacante in hac materia idem posse, quod Episcopus jure ordinario, cūm ei in hoc succedat, nec specialiter prohibeatur. Ad 6. R. negativè cum Sanchez *cit. n. 18.* nam facultas dispensandi non datur ex generali officio Vicariatus, ut tradit Sanchez *l. 2. matr. D. 40. n. 12.* Ad 7. R. quòd sic, sed solūm comparatione illorum, relatè ad quos gaudent quasi Episcopali jurisdictione. Ad 8. R. negativè, quia carent jurisdictione fori externi.

Ex dictis colliges, quibus diximus 2942 competere potestatem dispensandi in votis, iisdem etiam competere potestatem commutandi, non e contra, nam *commutare*, de se non dicit actum jurisdictionis; ad dispensandum enim *ex parte dispensandi* requiritur, quòd subjectus sit speciali potestati dispensantis, nulla enim jurisdic-tio validè exercetur in non subditum, Coeterum sufficere subjectionem in ordine ad hunc finem, quæ habetur per quasi domicilium, tradit Sanchez *cit. c. 37. n. 27.* ad quod sufficit, quòd quis veniat ad eum locum cum animo permanendi ibi majore anni parte. Plura de votis tradidi in præceptis primæ tabulæ; quæ autem pertinent ad *solemnitatem* votorum, partim videri possunt à n. 2873. & 2877. partim in.

QUÆSTIO XXXV.

IN TIT. XXV. DE STATU MONACHORUM, ET CANONICORUM REGULARIUM.

2943 HÆc vox *status* apud varios diversarum facultatum professores multipliciter usurpatur, prout videri potest apud Pereyram in Elucidario *l. 2. elucidat. 20. Sect. 7. n. 1359.* illis in præsens prætermisissis, apud Theologos, ut notat Lessius *l. 2. c. 41. dub. 1. bifariam* 1. latè, pro quavis vitæ conditione, in qua homo ad tempus, vel perpetuò manet; Sic dicitur *status innocen-*
Tom. III.

tiæ, status legis naturæ, legis Mosaicæ, legis Evangelicæ, status viatorum, status beatorum, & damnatorum, status liberorum, servorum, Virginum, Viduarum. 2. strictè pro conditione vitæ immobili, per quam alteri obstricti sumus, & ut sic quandam firmitatem, & permanentiam denotat.

Hæc ratione (ut docet S. Thomas 2. 2944 2. q. 183. a. 1.) dantur tres status in Ecclesia sci-